



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXXIX. Dilecto filio Ioseppo. Albinvs Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius: sapientiæ vas: flos adolescentiæ; dignitatem tuam attende; & esto, quod nominaris. Cogita, corpus tuum in partem reuerti, & animam tuam ad iudicium rapi. Quia tunc esse cupiās, talem te nunc exhibe. Nunc, tempus est laborandi; tunc, remunerandi: nunc, promerendi; tunc, accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Cure, dum lucem habes. Qui hodie es, cras non eris, dicit scriptura: Noli tardare conuerti ad Dominum, quia nescis quid futura pariet dies. Omnis gloria seculi, quasi fœni decidet. Arescit fœnum, & flos eius deperit.

Ioan. 12.

Eccli. 5.

Eccli. 14.

Esai. 40.

Memento creatoris tui, antequam veniat tempus aduersionis. Pugnemus fortiter, & vincamus perniciousiter, ut coronemur feliciter. Illum habemus adiutorem, quem & remuneratorem. Ille, prior hostem vicit, ut nos vincere possimus: triumphauit in cruce, ut nos regnemus in caelis: ad nos descendit in terram, ut nos ascendamus ad illum in caelum: filius hominis factus est, ut nos filij DEI esse mereamur; cui laus, & gloria, in omnes æternitates, Amen.

EPISTOLA XXXIX.

Dilecto filio Ioseppo.

ALBINVS SALVTEM.

DOLEO de dolore corporis tui: sed gaudeo de felicitate animæ tuæ. Quia flagellat DEVS omnem filium, quem recipit. Occidit, & viuificat: vulnerat, & medetur. Spes præmij, solatium tibi sit laboris. Hi dolores cito finiuntur; præmia patientiæ nunquam. Non sunt condignæ passionēs huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in sanctis. Quapropter cum gratiarum actione immola DEO sacrificium laudis. Non

Hebr. 12.

Iob. 5.

Rom. 8.

Psal. 49.

Non est hæc tribulatio pœnalis, sed propitiatio venialis. *Proverb. 27. Sap. 3.*
 Aurum in fornace per ignem coquitur, vt purius exeat; sic anima, corporali tribulatione, vt mundior procedat ad vitam. Disciplina Domini non debet cuiquam esse disciplina: sed hilariter accipiat, quod pius medicus salubriter immittit. Inter flagella pietatis, orationes humilitatis ad Dominum dirigantur: vt, qui misericorditer castigat, clementer ignoscat, vt salus æterna patienti proueniat.

Nostri quoque memor, sedulas pro nobis fundere preces non cessã: quatenus diuina nobis prouideat clementia perpetuæ conuersationem prosperitatis. Adhuc dubio stamine pacis subtemine causa textitur: & dum plenum perficitur vestimentum, mox ad induendum vestræ dirigitur fraternitati.

Valde placet, quod domum DEI renouare cœpisti. Stude, vt & istam perficias; & alteram de qua præsens dixi, facias consecrari: vt pro duplici DEI honoris labore, multiplicem merearis accipere mercedem. Viuas, vigeas, & valeas feliciter, fili charissime.

EPISTOLA XL.

Dilectissimo patri illi, illi salutem.

RATIAS agamus Domino IESU, vulnerati, & mendenti: flagellanti, & consolanti. *Tob. 5.*
 Dolor corporis, salus est animæ: & infirmitas temporalis, sanitas fit perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus voluntatem Saluatoris nostri.

Sed nunc noli tardare. Fac, quod facturus es. Curre, dum lucem habes. Festina ad eum, qui vocat te. Quod necessitas cogit, voluntas præueniat. *Ioan. 12. Matth. 13. Matth. 3.*
 Esto scriba sapiens, negotiator fidelis. Vende terrena, & eme cœlestia. Quid

M specta-

UCCANU
 SII
 om, om,
 SIV
 24